

confirmati Ecclesiae Wesprimiensis, aulae nostrae Cancellarii, fidelis nostri, sexto Kalendas Aprili. Anno ab Incarnatione Domini MCCCCLI.

Ex authentico transsumpto Stephani Ducis Transylvaniae, fratris Ludovici Regis. — Fejér. Cod. Dipl. Hung. Tom. IX. Vol. II. p. 81.

XCIV.

Anno 1354. die 15. Mai. In castro Ivanich.

Stephanus, totius Slavoniae, Croatiae et Dalmatiae Dux, nonnullos Nobiles Jobbagiones Castri Moroucha (Moravče) veros Nobiles creat.

Nos Stephanus, Dei gratia totius Slavoniae, Croatiae et Dalmatiae Dux, memoriae commendantes tenore praesentium significamus quibus expedit vniuersis: Quod Nicolaus filius Katchk, nobilis Jobbagyo Castri de Moroucha, sua, Iwan et Georgij, filiorum Nicolai fratrum patruium, ac Martini, filij Brokon vitrici, suorum, nec non Bank, filij Petri, similiter Nobilium Castrensiu de eodem Comitatu Moroucha, in personis, ad nostrae Serenitatis accedendo conspectum fidelitates et servitia fidelia praefatorum Patruum, fratrum et vitrici suorum, in diversis regni nostri expeditionibus, una cum magnifico viro Mykch, quondam dictorum Regnorum Slavoniae et Croatiae Bano, contra regni aemulos, morte et sanguinis effusione, membrorumque mutilationibus, ac aliis multimodis periclitationibus ac captivationibus, quae omnia per seriem longum esset enarrare, Excellentissimo Domino Lodovico regi Hungariae fratri nostro carissimo et nobis per consequens, prout a praesentibus potioribus regni nostri Nobilibus exinde certitudinaliter fuimus informati, suprema cum aviditate fidelitatis exhibita et impensa, nostrae Majestati proponens et declarans ac in nostri reducentes memoriam cum affectu, supplicans exinde nostram humiliter et devote Maiestatem, ut cum eisdem gratiose agendo, ipsos ac eorum haeredes simul cum possessionibus eorum de praemisso Nobili Jobbagationatu Castri ex pietate ducali generose eximere dignaremur; Nos itaque qui suscepti nostri regiminis officio cunctorum fidelium famulantium votis aures pietatis inclinare tenemur, praesertim hys, qui se et sua personae... pericula pro constantia fidelitatis casibus fortunae exponere non formidant, supplicationibus ipsius Nicolai filij Katchk, quo supra modo, nobis porrectis, Ducali favorabilitate inclinati, recensitis fidelitatibus et servitijs praenominatorum Nobilium Jobbagationum modo praehabito impensis, licet iidem pro praemissis ampliori dono insigniri nostra mererentur Maiestate, tamen ad praesens in recompensationem servitiorum ipsorum aliqualem, hanc eisdem libertatis praerogativam pro innata Ducali benignitate duximus annuendam, quod praefatos Nicolaum filium Katchk,